

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA  
DE  
ERYSIPELATE INFANTILI,

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLIS-  
SIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI

PRO GRADU  
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*JOAN. FRIDR. LEOPOLD. NINDEL,*  
RIGENSIS.

.....  
DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXIX.



I m p r i m a t u r

sub conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec  
dissertatio, quinque exempla collegio explorandis li-  
bris constituto tradantur.

Dorpati Livonorum die xvii. mens. Feb. mccccxxix.

Dr. Fridericus Erdmann,  
h. b. Ord. Med. Decanus.

D 16763

## Praefatio.

*A tirone, qui scientiae experientia ni-  
xae cursum academicum quadriennii mo-  
do absolvit, lector benevolus non ex-  
spectabit opus, propriis observationibus re-  
busque, quas ipse expertus est, ornatum.  
Itaque scriptorem juvenem jam maxime  
laetari exhilararique necesse est, si, qui  
hoc opusculum aequo animo judicans le-  
gerit, inveniatur, in illo, quae de hoc argu-*

*mento annalibus artis salubris passim contineantur, esse collecta et apte distributa, annotationibus, quas auctor ipse e generatilibus scientiae praeceptis hauserit, additis, quatenus hujus opusculi limites permittant.*

---

## Caput primum.

### Definitio erysipelatis infantilis.

**E**rysipelas infantile (neonatorum) est inflammatio cutanea sui generis, feбри comitata, organismo infantili priore vitae periodo propria, ex reti vasorum sanguiferorum cutis superficiali initium capiens, profundiore corripuens, per planum se propagans, sedem facile mutans, cujus tumor circumscriptus durus et glaber, atque in superficie nitidus est.

### Symptomatologia.

Descriptiones hujus morbi infantilis a nonnullis scriptoribus diversissimae proponuntur, quin etiam sunt, qui illum nomine, quod alii debeatur, significant. Sic e. g. Horn (a) nonnulla morbi exempla a se observata indurationes telae cellulosae appellavit, quae ad unum omnia signum erysipelatis infantilis habent. In

---

(a) In ejus Archiv für praktische Medicin u. Klinik, May bis August, 1810. S. 109.

errorem contrarium Seiler (b) incidisse videtur, qui inflammationem telae cellulosaë, a se in infantibus conspectam, erysipelas infantile nominet; inflammationem, quae in reti vasorum cutis superficiali primam suam sedem habet.

Erysipelatis infantilis symptomata et decursum secundum optimos hujus morbi observatores exponere conabor.

Plerumque hic morbus inter tertiam et sextam aetatis hebdomadem, praeterea vero etiam prius vel serius, in infantibus cujusvis constitutionis apparet (c); in nonnullis exemplis eum congenitum fuisse dicunt, — quam observationem (d) veram esse Wendt (e) negat. Jam hic morbus cutaneus sine prodromis erumpit (f), jam illi antecedunt, nimirum calor auctus, inquietudo, phaenomena icterica, vomitus, mutatae alvi dejectio-

(b) in: Rheinische Jahrbücher für Medicin u. Chirurgie. Herausg. v. Harless. VI. Bd. I. St. S. 56.

(c) Horn, l. c. pag. 114. — Underwood apud Hartshore in: Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte. 16. Bd. 2. St. S. 339.

(d) Bromfield in: Sammlung u. s. w. 16. Bd. 2. St. S. 322.

(e) Die Kinderkrankheiten. Systematisch dargestellt. 2. Ausg. Breslau u. Leipzig. 1826. S. 102.

(f) Horn, l. c. — v. Velsen in Hornii Archiv. 1811, 2. Bd. S. 426. — V. ab Hildenbrand institutiones practico-medicae. Tom. III. Vienne. 1822. S. 601.

nes, spasmi, aphthae (g). Deinde exoritur uno vel pluribus simul locis macula fere plana, tactu calida, coloris magis minusve rubri cum nitore conjuncti; paulatim vel cito latius proserpit, quo facto partes intumescunt, calidiores, durae et dolorificae fiunt (h). In uno exemplo tota cutis superficies sensim sensimque adeo correpta est, „dass das Kind vom Kopf bis zu den Zehen aussah, wie wenn es in kochendes Wasser getaucht gewesen wäre“ (i). Rubor, interdum cum colore flavo paulum commixtus (k), et tumor circumscripti sunt (l). Digtus tumori impressus non efficit fo-

(g) Sybel in Hufelandii Journal der praktischen Arzneikunde. 37. Bd. 5. St. S. 98. — Henke Handbuch zur Erkenntnis und Heilung der Kinderkrankheiten. 3. Aufl. 1821. S. 187. — Jörg Handb. zum Erkennen u. Heilen der Kinderkrankheiten. Leipzig. 1826. S. 479. sq.

(h) Bromfield, l. c. — Gartshore, l. c. S. 327. 331. — Walsham in: Sammlung u. s. w. 19. Bd. 4. St. S. 568. — Hufeland in suo Journal. 10. Bd. 4. St. S. 149. — Horn l. c. alq.

(i) Heyfelder, Beobachtungen über die Krankheiten der Neugeborenen u. s. w. Nach eigenen Erfahrungen in den Hospitälern zu Paris. Leipzig. 1825. S. 56 — 57. — Cf. Joannes Burgius: de erysipelate raro in Misc. Natur. Cur. Dec. II. Ann. 3. p. 334.

(k) Oslander, Neue Denkwürdigkeiten für Aerzte u. Geburtshelfer. 1. Bd. 1. Bogenzahl. S. 56. — Jörg, l. c.

(l) Heyfelder, l. c. S. 55. — Lützelberger in Hufel. Journ. 35. Bd. 10. St. S. 121.

veam, sed rubor in momentum evanescit; hic postea purpureus fit, coeruleus, colore fusco intermixtus; exoriuntur vesicae gangraenosae, petechiae (m). Haec erysipelatis species in locos vicinos, quin etiam remotos transilire maxime amat, quo facto loci cutis antea correpti sani apparent (n). Quivis paene corporis superficiei locus prima inflammationis sedes fuit, sed plerumque regio umbilicalis et partes genitales corripuntur, quo infantis vitae maximum adducitur periculum; si extremitates erysipelate arreptae sunt, tumor et induratio tantam exercere solent vim, ut articuli rigidi fiant, pedesque quasi curventur (o).

Erysipelas infantile cum febris primaria aut secundaria magis minusve vehemente conjunctum est. (p). Ejus indoles interdum inflammatoria est, quod Hornii et Heyfelderii observationes probant. Si ita se res habet, praeter malum cutaneum temperatura generaliter aucta, celer et fortis cordis et arteriarum pulsus, brevis et frequens halitus, vox in ejulatu plena et fortis animadvertitur. Plerumque febris, saepe statim ab initio typhi indole utitur, et tum accedunt pulsus

(m) Hufeland, l. c. S. 149. — Jahn, Neues System der Kinderkrankheiten. Neue Aufl. 1807. S. 156. — Horn, l. c. — Henke, l. c.

(n) Heyfelder, l. c. — v. Velsen, l. c. alq.

(o) Gartshore, Hufeland, Horn, Jahn, ll. cc.

(p) Horn, l. c. — v. Velsen, l. c.

debilis, parvus, arhythmicus, intermittens, extremitatum frigus, convulsiones, status soporosus (q). Ios. Frank (r) de ea re dixit: „erysipelatis recens natorum indolem, quamvis hucusque obscuram, gastrico-typhodem esse, tum ex symptomatibus, tum ex socio periculo, tum ex medendi ratione huic malo magis opportuna, suspicamur.“

Praeter febrem etiam turbatae digestionis signa conspiciuntur. Illa aut vitium cutaneum jam antecedunt, aut paullo post ejus exortum accedunt; sunt autem: lingua muco albescente vel flavescente obducta, vomitus, alvus viridis, acris, aquosa, foetida, vel obstructio (s). Semel erysipelas infantile in puero octo hebdomades nato, abnormibus digestionis organorum phaenomenis (excretionibus massae viridis et lentae per os et anum), quae post exortum malum locale oborta erant, arte sublatis, et ambitu et vi crevit (t).

Cutis perspirationis scriptores non faciunt mentionem singularem. Memorabilis est observatio quaedam, quam Hemmer (u) affert, ubi,

(q) Harless, in: Rheinische Jahrbücher, u. s. w. III. Bd. II. St. S. 105.

(r) Praxeos medicae universae praecepta, P. I. Vol. II. Lipsiae, 1815. p. 131.

(s) Walsham, l. c. S. 565. — Hufeland, l. c. — Heyfelder, l. c. — Richter, die specielle Therapie. 2. Band. 1821. S. 200.

(t) v. Velsen, l. c. S. 433.

(u) In: Rheinische Jahrbücher, u. s. w. VII. Bd. III. St. S. 58. sq.

exacerbatis febris et doloribus in partibus erysipelate infantili correptis, exsudatio aquosa potissimum in ambobus femoribus et cruribus saepius exorta est, quae semper a tempore postmeridiano usque sub tempus matutinum perdurabat, ubi cutis rursus arida apparebat.

Urinae secretio non raro deminuta est, excretio genitalibus erysipelate arreptis interdum difficultatibus implicita (v), color obscurus, vel lucidus, et secundum Jörgium (w) illa continet tot particulas flavescens, interdum subfuscas, ut fascias, quibus infans involvatur, maxime hoc colore imbuat. Walsham (x) quoque commemorat urinam flavidam in infanti erysipelate laborante. Alii scriptores talem urinae conditionem non afferunt,

## Caput secundum.

### Morbi exitus.

Sanitatis resitutio vitaeque conservatio infantis erysipelate laborantis arti auxilium ferenti raro contingit, cum illud partim in gangraenam lethiferam transire, partim vel per metastasin organa

(v) v. Velsaen, l. c. p. 434.

(w) l. c. §. 469.

(x) l. c. pag. 569.

nobilia ad vitam conservandam maxime necessaria corripere magnopere amet. Prosperrimus igitur sed etiam minus frequens exitus inflammationis resolutio est. Febris remittit, rubor, tumor, et durities, sicut dolores partium correptarum paulatim deminuantur, epidermis desquamatur, et decem vel viginti diebus post, interdum etiam serius demum, omnia morbi signa evanuerunt (y). Exitum hunc sperare licebit, si erysipelas leue sit, febrisque illud comitans indolem leviter inflammatoriam servet. Hunc exitum rarum esse, non mirum est, si consideramus erysipelas infantile ad latius proserpendum partim in profundum, partim per planum esse proclive, quod fortasse adjuvet teneri infantis cutis conditio, quae tum facilius irriteretur, quam infantis jam diutius rati, vel adulti; tum quoad structuram a tela cellulosa subjacente parum finibus distincta sit.

Quamquam Markus (z) exitum erysipelatis infantilis in indurationem statuit, eumque essentialem habet, equidem tamen arbitror hic de exitu sermonem esse non posse, cum durities tumoris cum caeteris erysipelatis infantilis symptomatibus statim ab initio reperiatur. Itaque si qua partis erysipelate infantili affectae induratio conspi-

(y) Ioannes Burgius, l. c. p. 334. — Heyfelder, l. c. — Capuron, Abhandlung üb. d. Krankheiten der Kinder. A. d. Franz. Mit. e. Vorr. v. Puchelt. Leipzig 1821. S. 88.

(z) Entwurf einer spec. Therapie. 3. Thl. 1. Abthlg. Nürnberg, 1812. S. 222.

ciatur, ea potius reliquum morbi constituet. Neque majore jure indurationem secundum morbi nostri stadium nuncupare licet, quod Harless et Hemmer observationibus suis nixi faciunt. Prior (a) enim observavit in parentum nobilium infanti sano, cum nasceretur, forti et bene nutrito, erysipelas, quod, nonnullos dies motibus febrilibus cum inquietudine et saepe interrupto somno antegressis, coxas, clunes et partes genitales corripuit, sensim paullo latius sursum in abdomen et deorsum in genu proserpens, et nonnullis diebus post etiam tergum et deinde dextrum antibrachium et manum occupavit. Ab quarto inde die rubor roseus, tumor aequalis, nitidus et ardor in coxa et circa partes genitales, die post etiam in tergo evanescere atque in indurationem cutis et telae cellulosa ex semialbido flavescens, paullo sulcatam, sed duram et rigidam naturam induentem, digito prementi minus cedentem, et minime calidam, postea frigidiorer, transire incepit, dum erysipelas in crure et manu in suppurationem exibat et febris typhodes perdurabat. Remediis excitantibus et cutis functionem adjuvantibus interne, — cataplasmatibus ac infractionibus resorptionem sustinentibus in locis induratos, calidisque cataplasmatibus ex infuso fl. Chamom. lacte parato, addita postea aqua Goulardii in locos suppurantes, adhibitis, tum universalis valetudo normalis restituta est, tum cutis conditionem sanitati convenientem recuperavit. — Porro Hemmer (b) historiam erysipelatis infantilis affert,

(a) Harless, l. c. pag. 132. seq.

(b) In: Rheinische Jahrbücher, l. c.

quod partim sub desquamatione cuticulae in multis locis, quorum nonnulli sensibilitatem amiserunt et adspicuum sublavum, cerae similem acceperunt, partim sub exsudatione aquosa uno loco saepius repetita in sanitatem perfectam transiit.

Secundum has observationes illi scriptores erysipelas infantile et telae cellulosa indurationem — quos duos morbos eisdem esse Jahn, Horn, Nees de Esenbeck alique contendunt, Carus, Jos. Frank, Hildenbrand, Heyfelder suo jure negant — conjungere volunt, posteriorer morbum habentes secundum erysipelatis infantilis stadium, et quidem, ut Harless dicit, singularis ejus varietatis, cujus causae et formationis condiciones efficiant, ut vulgaris exitus prohibeatur et telae cellulosa induratio exoriat. Singularem erysipelatis infantilis varietatem, ubi indurationem post hunc morbum relictam videamus, statuere, ut equidem opinor, non sumus coacti, si indolem inflammationis arterioso - seroso - venosam consideramus, cujus pars serosa praedominium tenere possit, qua lymphae plasticae secretio tanta copia efficiatur, ut resorptionis vi, etsi normali, resorberi nequeat (vid. infra). Indurationem ejusmodi cum induratione telae cellulosa eandem esse, partim posterioris pathologiae consideratione, partim etiam faciliore indurationis post erysipelas relictae sanatione et difficiliore indurationis telae cellulosa refellitur.

Exitus erysipelatis infantilis in suppurationem interdum faustus fuit. Gartshore (c) v. c.

(c) l. c. pag. 330.

exemplum describit, ubi in infanti octo dies nato, cujus colli posterior pars totumque tergum erysipellate correpta erant, tumor in cervice formatus est, qui in suppurationem transit, quo facto infans, interno corticis Peruviani usu et fomentationibus cum spiritu camphorato paratis, inflammatione cutis superficiei applicatis, sanatus est. Harless porro exemplum commemorat, in quo transitus in suppurationem et induratio relicta simul occurrerunt, quas remediis aptis usurpatis sanitas est secuta (vid. supra). Plerumque vero hic exitus, qui potissimum erysipelas infantile in extremitatibus exortum sequitur (d), infantis vitam subruit. Nonnullas suppurationes deinceps sequentes fere semper mortem adducere, Hartshore dixit (e). Pus secretum est indolis liquidae, sed satis benignae, si haec secretio prospero gaudet eventu, ubi mors adducitur, illud est naturae ichorosae (Richter, Harless). Exitus in suppurationem exspectandus est, si erysipelas vehementissimum, et inflammatio in telam cellulosa sub cute jacentem propagata est, et hanc ob rem indolem phlegmonodem assumit. Felix suppurationis finis rarus esse videtur, quoniam teneri infantis organismus minore vi instructus est, quam ut tam forti secretionis processui, quam illa in universum est, possit resistere.

Exitus in gangraenam et sphacelum saepissime observatus est, praecipue si abdomen et par-

(d) Henke, l. c. pag. 187.

(e) l. c. pag. 335.

tes genitales erysipelati infantili sedem largiuntur (f). Quamvis ille plerumque infantis mortem efficit, nonnulla tamen exstant exempla, in quibus erysipelata infantilia gangraenosa feliciter decurrerunt. Bromfield (l. c.) nobiscum communicat observationem morbi nostri cum sphacelo secuto in infanti neonato, ubi, corticis Peruviani et confectionis cardiacaе usu interno, fomentationum vero unguentorumque irritantium externo, escharae gangraenosae in plagis cutis erysipellate laborantibus a nono die usque ad vicesimum quintum, uno digito nonnullisque digitorum phalangibus manus sinistrae erysipellate gangraenoso correptae amissis, solvebantur, quo facto optima valetudo infanti restituta est. Recentissimis quoque temporibus inter alios Meissner (g) exitum erysipelatis infantilis in gangraenam, conservato infante, vidit. — Hic exitus timendus est, si purus inflammatione cutis superficiei rubor cum colore coeruleo misceri, febrisque indolem inflammatoriam exuere et nervosam induere minatur. — Hic exitus frequentissimus, infantis vitae periculum adducens, si res vim debilitantem exercentes, sub quibus erysipelas infantile interdum exoriatur, omitamus, infantilis organismi natura nititur. Infantis vita mi-

(f) Henke, l. c.

(g) In Sieboldii Journ. für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten, 4. Bd. 1824. p. 375. sq.

nima energia et magna incitabilitate instructa, tanto impetui in organismum, quantum erysipelas exercet, resistere nequit. Inferior perfectionis gradus, in quo sanguinis formatio et crasis in infante tenerimae aetatis, quam in adulto homine, versatur, et quod systema nervosum, per se adhuc debile, facile simul corripitur, efficit, ut vires vitales deminuantur; inflammationis indolis arterioso-seroso-venosae pars venosa praevalere incipit, febris indoles inflammatoria in nervosam vel putrido-nervosam transmutatur, et hoc modo praeter localem partis affectae mortem universalis infantis accedit.

Metastasisibus formati saepe mors procreatur. In exemplo a Walshamio observato (h), postquam erysipelas infantile hebdomadem perduravit, exoriebantur adspetus pallidus, major anxietas et vagitus, nausea ad vomitum usque, deletus ciborum appetitus, alvi liquidae, coloris prasinii, abdomen durum et tumidum. Sectione cadaveris infantis, postero die defuncti, instituta, ventriculus in statu maxime morbooso apparuit; erat ille inde a cardia paene usque ad pylorum maxime decolor et gangraenosus, membranae ejus levissimo tactu dissolvebantur. In exemplo secundo (i), ubi, postquam erysipelas infantile sex hebdomades perduravit, infantis aegroti facies pallida facta est, pulsus debilis et intermitens, extremitates frigidae, halitus celer et tussi

(h) l. c. pag. 565.

(i) l. c. pag. 571.

interruptus animadvertentur; Walsham post mortem non solum ventriculum in statu modo depicto invenit, sed pulmones etiam omnino erysipelatis instar inflammati erant, pustulisque pus continentibus obsiti, quarum similes in erysipelate ad ani regionem inveniebantur. Porro Horn, (k) actionibus metastaticis in organa interna nobilia adgressis, mortem adductam vidit. Observati sunt ab illo ascites celeriter obortus, enteritis, carditis, pericarditis, pleuritis, major copia humoris purulenti in cerebri cavis et sub tentorio cerebelli. Neque tamen haec phaenomena semper erant actiones mere metastaticae, nam „bei mehreren Kindern, die auf diese Art umkamen, dauerte die mit Härte und Röthe verbundene Geschwulst in der Haut, ungeachtet des Eintritts dieser neuen Leiden innerer Organe, in merklichem Grade fort. Selbst an der Leiche fand man diese krankhaft afficirten Stellen auf der Oberfläche mehr oder weniger marmorirt, hart und fest.“ Ad hunc exitum vel erysipelas adulatorum, praecipue symptomaticum, proclive est (l); quanto facilius ille adducatur oportet in erysipelate infantili, si ad breve tempus, quod adhuc pulmonum, hepatis et digestionis functiones in infante tenerae aetatis perduraverint, ad evolutionem cerebri et medullae spinalis, et ad majorem actio-

(k) l. c. pag. 121. sqq.

(l) Hildenbrand, l. c. pag. 614.

nem membranarum mucosarum et serosarum respiciamus.

Mors porro dolorum febrisque vehementia, eamque sequente virium prostratione et paralyti gignitur. In ejusmodi cadaverum cavitatibus Horn nunquam organa laesa invenit (m).

Nou raro accedunt spasmi tonici et clonici, nominatim faciei, qui fere semper mortem, saepe sub iis venientem, praenuntiant (n).

Interdum mors, dum affectione locali saepe sub perspicua cutis desquamatione paulatim evanescente spes sanationis alebatur, tarde atrophia viriumque defectu adducta est (o).

### Caput tertium.

#### Cadaverum sectiones.

Plurima infantum erysipelate mortuorum cadavera marcida et tabe confecta sunt (p); interdum res contrario modo se habet (q).

(m) l. c. pag. 121.

(n) Oslander, *Denkwürdigkeiten für die Heilkunde und Geburtshülfe*, 2. Bd. 2. St. p. 372. — Schwarz, in *Hutelandii Journ.* Bd. 63. St. 2. S. 97.

(o) Horn, l. c. pag. 122 — 123.

(p) Horn, l. c. pag. 124.

(q) Sybel, l. c. pag. 103.

Affectae cutis partis tumor cum duritie fere semper etiam post mortuum infantem permanet; tumoris superficiei color, infante vivo ruber, non raro sensim ante mortem evanescit, aut maculis distinguitur, aut fuscus, aut subcœruleus fit, eundemque colorem in cadavere servat (r).

Epidermis, cutem affectam tegens nonnullis locis facilis erat destructu (s). Cutis locis induratis incisa durior, firmiter rubriorque fuit, quam in statu normali (t), et cum profundius incidere- tur, magna copia humoris aquoso-lymphatici jam paulum crassi, puri similis, jam lymphatici (u), atque in exemplo quodam a Walshamio observato multum aquae subfusci coloris (v) profluxit. Nihil admodum alieni cutis incisa ostendebat, ubi ejus rubor et durities nonnullis diebus ante mortem maxima ex parte evanuerat (w).

Tela cellulosa sub cute sita interdum suppuratione destruitur, et tum cutis musculis vicinis

(r) Oslander, in: *Denkwürdigkeiten u. s. w.* 2. B. 2. St. pag. 377. — Horn, l. c. pag. 118. 119. Sybel, l. c. p. 104. — Schwarz, l. c. p. 97.

(s) Sybel, l. c. pag. 104. — Schwarz, l. c. pag. 97.

(t) Horn, l. c. pag. 125. — Sybel, l. c. p. 105.

(u) Horn, l. c. pag. 125. — Richter, l. c. p. 200.

(v) l. c. pag. 570.

(w) Horn, l. c. pag. 125.

adhaeret (x). Semel et illam et adipem illa contentum colore subfusco imbutum reppererunt (y). Plerumque vero tela cellulosa, sub morbose commutato cutis loco sita, normalis deprehenditur, nisi quod cellulae, quibus constat, ampliores sunt. Sed in ea fere semper aliquid abnorme invenitur. Osiander (z) e. g. dicit, partibus inflammatis durisque dissectis, duritiem „extravasato polyposo“ in tela cellulosa esse provocatam. Sybel (a) materiam coagulata[m] cellulas impletem repperit, quod magis minusve albidum, flavum, vel russum coloris erat, neque ubique aequaliter firmam. Adeps tela cellulosa contentus spissatus, firmior, grauosus invenitur (b), et Sybel (l. c.) vidit massulas adiposas consistentia firmiores, materia illa coagulata cinctas, et vascula alias non perspicua sanguine rubro impleta telam cellulosa[m] reticulate obduxerunt, et in parvis illis durisque massulis adiposis finita erant. Haec vascula vero ibi etiam coagulata[m] materiam et telam cellulosa[m] penetrarunt, ubi adeps abest. Sybel et Schwarz uno loco cavitatem invenerunt in exemplo ab illo observato, pure (c), ab hoc, gelato (Sulze) subflavo (d)

(x) Walsham, l. c. pag. 570.

(y) Schwarz, l. c. pag. 98.

(z) Denkwürdigkeiten u. s. w. B. 2. St. 2. p. 377.

(a) l. c. pag. 105 — 107.

(b) Walsham, l. c. pag. 570. 574. — Horn, l. c. p. 125 — 126.

(c) l. c. pag. 105.

(d) l. c. pag. 98.

impletam. In uno casu vix abnormis conditio telae cellulosa[e] detegi potuit (e).

Musculos sub locis affectis situs Walsham (f) in statu normali invenit; Schwarz (g) eos pallidos vidit, interque eos ichorem purulentum, subflavum effusum.

Scrotum erysipelate affectum tumidum fuit, et cum incidere[m] apparuit, ejus cellulosa[m] magnam materiae subflavae copiam continere, et vasa interjacentia sanguine quasi injecta esse. Penis et testiculi non erant tumefacti, attamen vasis sanguine repletis ruberrimi (h). Schwarz (l. c.) scrotum ex nigro fuscum repperit.

Cavum abdominis Osiander (i) maxime tumidum deprehendit et in tela cellulosa, inter integumenta abdominis et peritoneum sita, multisque vasis sanguine repletis penetrata, multum materiae subflavae, gelatinosae.

Peritoneum ejusque propagationes: mesenterium, mesocolon, omentum majus, jam vasis multo sanguine repletis instructa, jam inflammata invenerunt. (k)

(e) Gartshore, l. c. pag. 331.

(f) Walsham, l. c. pag. 570. 574.

(g) l. c. pag. 98.

(h) Osiander, Neue Denkwürdigkeiten u. s. w. 1. Bd. 1. Bogenzahl. pag. 57. 58. — Cf. Sybel, l. c. pag. 107.

(i) Neue Denkw. u. s. w. pag. 58.

(k) Sybel, l. c. p. 108. — Horn, l. c. p. 127. 129.

Peritonaei cavum saepius majorem minoremve copiam humoris variae indolis continuit. Purulentum, subfusi coloris, maxime foetidum eum fuisse *Walsham* dicit (l), flavum vel croceum *Osiander* (m), paullo crassiorem, flavum, prope purulentum, floccis massulisque subflavis intermixtum, vel lymphatico-purulentum, ei similem, qui in mulieribus febris puerperali defunctis deprehendatur, *Horn* (n) et *Osiander* (o), ex flavo rubrum, turbidum, lentum *Sybel* (p).

Ventriculum repperunt tumidum, inflammatum, gangraenosum, ejusque membranas ita degeneratas, ut tactu vel lenissimo dirumperentur (q). Quod in eo reliquum erat cibi, colorem subviridem induerat. (r)

Tractum intestinorum, quanquam ventriculus abnormis conditionis erat, normalem deprehendit *Walsham* (s). Aëre inflatum illum vidit

(l) l. c. pag. 569.

(m) *Denkwürdigkeiten u. s. w.* pag. 378. — *Neue Denkwürdigkeiten u. s. w.* pag. 58.

(n) l. c. pag. 127.

(o) *Neue Denkwürdigkeiten*, pag. 58.

(p) l. c. pag. 109.

(q) *Osiander*, *Denkwürdigkeiten*, pag. 377. — *Walsham*, l. c. pag. 569, 573, 577.

(r) *Walsham*, l. c.

(s) l. c.

*Osiander* (t), simulque inflammatum *Sybel* (u). Intestino recto continebantur excrementa flavi coloris (v), aut pro stercore aliquid mucii subflavi. (w)

Hepar saepissime commutatum deprehenderunt. Majus solito fuit, in superiore facie nigricans, in inferiore purpureum, dum parenchyma internum et vesica fellea normales erant (x). Saepe hepar jam in superficie tantum, jam per substantiam omnem inflammatum fuit, interdum multo sanguine stagnante instructum, et vesica fellea continuit bilem atram et lentam, vel pituitam candicantem, lucidam, ovi albumini similem (y). Semel *Horn* (z) vesicam felleam paene omnino vacuam deprehendit, intestinis cavi abdominis nihil morborum ostendentibus, corde, pericardio et pleura per metastasin correptis. — Vena umbilicalis usque ad venam portae pure flavo repleta erat. (a)

(t) *Neue Denkwürdigkeiten*, pag. 58.

(u) l. c. pag. 108.

(v) *Neue Denkwürdigkeiten*, pag. 58.

(w) *Sybel*, l. c. pag. 108.

(x) *Walsham*, l. c. pag. 570, 573.

(y) *Osiander*, *Denkwürdigk.* pag. 376, 377, 378. — *Neue Denkwürdigk.* pag. 58. — *Sybel*, l. c. pag. 108. — *Horn*, l. c. pag. 127, 130.

(z) l. c. pag. 133.

(a) *Osiander*, *Neue Denkwürdigkeiten*, pag. 58.

Splenem Osiander in alio exemplo (b) praeter consuetudinem magnum et gangraenosum, in alio (c) inflammatum, nigricantem, multum sanguinis stagnantis continentem animadvertit.

Pancreas induratum fuit (d), tum superficie, tum intus rubri coloris. (e)

Viscera cavi abdominis multis locis inter se concreta et pseudomembranis contacta fuerunt. (f)

Cum sternum a costis separaretur, humor liquidus, floccis purulentis commixtus, in alio casu subflavus prorupit. (g)

Pleura ostendit hic illic pustulas nonnullas inflammatione erysipelatosas cinctas (h); spissata inflammataque fuit (i). In cavo pleurae Horn multum humoris, in alio exemplo (k) subrubri, in alio (l) subflavi reperit.

(b) Denkwürdigkeiten, pag. 376.

(c) Denkwürdigkeiten, pag. 377.

(d) Osiander, Denkwürdigkeiten, pag. 377.

(e) Horn, l. c. pag. 130.

(f) Osiander, Denkwürdigkeiten, pag. 376. 377. — Horn, l. c. pag. 127. 129.

(g) Horn, l. c. pag. 127. 133.

(h) Walsham, l. c. pag. 574.

(i) Horn, l. c. pag. 133.

(k) l. c. pag. 130.

(l) l. c. pag. 133.

Pulmones, praesertim sinister, valde inflammati fuerunt (m); pustulis, inflammatione erysipelatosas cinctis, humorem puriformem continentibus, et in superficie, et intus instructi (n); in superficie rubriores, quam alias esse solent (o); pallide et lucide variegati. (p)

Pericardium valde extensum, spissatum et inflammatum deprehenderunt; magnam copiam lymphae floccis purulentis mixtae continentem (q); in alio exemplo (r) majorem copiam liquoris pericardii, paullo materiae coagulatae mixti; porro semiunciam seri flavi. (s)

Nonnullis locis per pseudomembranas cum corde cohaesit, quibus major hujus pars obsita erat (t). Cordis superficies inflammata fuit, membrana ejus externa spissata, rubra et concrementis puriformi-lymphaticis tecta (u). Sybel (v) cor paullo majus invenit, cujus propria vasa, tum

(m) Osiander, Denkwürdigkeiten, pag. 377.

(n) Walsham, l. c. pag. 574.

(o) Horn, l. c. pag. 130.

(p) Sybel, l. c. pag. 108.

(q) Horn, l. c. pag. 133.

(r) Walsham, l. c. pag. 573.

(s) Osiander, Denkwürdigkeiten, pag. 377.

(t) Horn, l. c. pag. 133.

(u) Horn, l. c. pag. 133.

(v) l. c. pag. 108 — 109.

majora, tum minora sanguine maxime erant referta. Uterque ventriculus et auricula hujus cordis et majores vasorum trunci sanguine atro, liquido turserunt. Osiander dextram tantum cordis auriculam inflammatam vidit. (w)

Glandula thyreoidea, praeter consuetudinem parva, multum sanguinis stagnantis continens ab Osiandero conspecta est. (x)

Quae ex investigatione eorum, quae cavo cranii continentur, apparuerint, Horn (y) nobiscum communicavit. Puellula tres hebdomades nata, quae erysipelate femoris sinistri, clunium et partium genitalium laboraverat, sub convulsionibus universalibus subito erumpentibus octavo morbi die defuncta, sectioni subjecta est. In magnis cerebri cavitatibus, in basi cranii et cerebello usque ad medullam spinalem humor crassus, omnino puriformis repertus est. In cadaveris cavo pectoris et cavo abdominis nihil insoliti inventum est, ac loca circa partes genitales, locali vitio affecta, jam pallida molliaque fuerunt, et cum in illa incisum esset, cutem haud perspicue spissatam, neque ullum humorem sub ea collectum deprehenderunt.

Tum ex mortis causis expositis, tum ex comparatione eorum, quae in cadaveribus infantum

(w) Denkwürdigkeiten. pag. 377.

(x) Ibidem.

(y) l. c. pag. 133 — 135.

erysipelate mortuorum reperta sunt, patet, ubi morbi exitus infaustus fuerit, iere semper in primariis cadaverum cavis abnormitates inveniri, quas partim simul cum erysipelate infantili existere, partim per metastasin exoriri arbitremur oportet. Attamen interdum obducciones allatas reperimus, quae in tribus praecipuis corporis cavis nihil abnorme ostenderunt. Infans erysipelate late propagato correptus tertio decimo morbi die decessit. Cadavere secto intus nullum vitium animadvertere poterat, solaque cutis affecta videbatur (z). Horn a) in nonnullis cadaveribus sectis praeter aberrationes in cute et sub ea nunquam abnormitatem, quae sensibus percipi posset, invenit. Schwarz (b) viscera abdominis et pectoris sana deprehendit; cranii cavum vero non est investigatum.

## Caput quartum.

### Diagnosis.

Quamquam erysipelas infantile, ut de Velsen (c) monet, quoad certam diagnosis, nullam

(z) Gartshore, l. c. pag. 331.

(a) l. c. pag. 126.

(b) l. c. pag. 98.

(c) l. c. pag. 427.

difficultatem et ne minimam quidem dubitationem offert, sunt tamen, qui erraverint, illudque cum aliis morbis cutaneis illi magis minusve similibus confuderint. Huc pertinent: induratio telae cellulosa, peritonitis infantum, strophulus volaticus, herpes erysipelatosus et erythema recens natorum Jos. Frankii.

### 1) Induratio telae cellulosa. d)

In hoc morbo pars affecta frigida est, nec dolet; nulla febris, phaenomena gastrica et ictERICA raro tantum illum comitantur; nunquam in gangraenam abit. Quodsi induratio telae cellulosae morte infantis affecti finitur, plerumque durities et tumor evaescunt. Postquam in partes affectas cutis et telae cellulosa incisus est, serum ovi albumini simile invenimus: Foramen ovate et ductum arteriosum Botalli saepissime apertum repperunt. Abnormitates systematis biliarii et inflammationes organorum internorum rarissime hunc morbum sequentes viderunt. In erysipelate infantili vero de his omnibus contraria di-

(d) Andry, in: Sammlung auserlesener Abhandlungen etc. 15. Bd. 3. St. pag. 604. — Stütz, in Hufelandii Journal etc. 14. Bd. 4. St. pag. 32. — Carus, in Hufelandii Journal. 42. B. 2. St. pag. 110. — Henke, l. c. pag. 196. — Breschet, in Gräffii et Waltherii Journal für Chir. u. Augenheilk. 4. Bd. 3. St. p. 481. — Heyfelder, l. c. pag. 22. — Fenner v. Fennersberg, in: Rheinische Jahrbücher etc. Supplementband zum 1. u. 4. Bde. pag. 214.

cenda sunt, quod ex capitibus de pathologia hujus morbi agentibus apparet.

### 2) Peritonitis infantum. (c)

Praeter symptomata, quae peritonitis in genere habet, haec inflammatio in infantibus abdomini interdum extrinsecus speciem inflammatam praebet, quae usque ad scrotum se porrigere potest. Erysipelas infantile, quae saepe abdominis superficiem corripit, sedem mutare amat, et progrediendo saepe celerrime propagatur, et interdum per totum corpus sine vehementibus peritonitidis symptomatibus, nisi si haec simul excolatur.

### 3) Strophulus volaticus. (f)

Fleisch (g) sub nomine erysipelatis infantilis morbum descripsit, cuius symptomata partim ad illud, partim ad strophulum volaticum perti-

- (e) Gartshore, l. c. pag. 338. — Schmalzii medicin. - chirurg. Diagnostik. 4. Aufl. 1825. S. 1030.
- (f) Willan, die Hautkrankheiten u. ihre Behandl. Aus dem Engl. von Friese. 1. Bd. Breslau. 1799. pag. 20. — Batemann, Prakt. Darstellung der Hautkrankheiten Aus dem Engl. von Hanemann. Halle 1815. p. 33. — Schmalz, l. c. p. 1996. — Jos. Frank, l. c. pag. 396.
- (g) Handbuch üb. d. Krankheiten d. Kinder. 1. Bd. Leipzig 1803. pag. 300. seq.

nent. Utrumque morbum dignoscendum esse Jos. Frank (l. c.) jure monet. Erysipelas enim infantile plerumque inter tertiam et sextam infantis aetatis hebdomadem observatur; tum refert plagam cutis inflammatam, glabra superficie instructam, et plerumque morbus gravis, infantis vitae periculosus est. Strophulus volaticus vero plerumque inter tertiam et sextam vitae mensem apparet, et quidem ut eruptio papulosa parvi momenti.

#### 4) Herpes erysipelatosus.

Willan(h) dicit Buechnerum (Miscellanea physico-medico-mathematica. 1725.), Furstenavium (Acta Nat. Cur. Tom. IV. Obs. 35.) et Schlierbachium (Tom. VII. Obs. 66.) morbum nostrum sub nomine herpetis erysipelatosi volatici descripsisse. Num Buechneri descriptio casus ipsius cum effigie erysipelatis infantilis congruat, cum illa Miscellanea me deficiant, dicere nequeo; sed hoc constat, erysipelas infantile non esse herpetem. E Furstenavii descriptione id tantum apparet, morbum ab ipso tractatum fuisse vitium cutaneum chronicum, ergo vix erysipelas infantile. Morbus a Schlierbachio in puero sex menses nato observatus constabat „efflorescentiis variis crustosis cum erysipelacea inflammatione.“ Hunc igitur morbum quoque nostrum fuisse non posse, nulli paene dubio subjectum est. — Distinguitur vero herpes ab erysipelate

(h) l. c. 3. Bd. 2. Abtheil. pag. 385.

vesiculis numerosis, parvis, catervatim formatis, normali superficiae conditione in catervarum intervallis, et tumore ac rubore, antequam vesiculae apparent, deficiente. (i)

#### 5) Erythema recens natorum.

Si hoc vitium, quod Jos. Frank (k) se primum descripsisse opinatur, singularis infantum morbus haberi potest, ab erysipelate infantili eo dignoscetur, quod plerumque inde a quarto usque ad sextum vitae mensem ab ano incipiens apparet, cutim tumidulam, carnis crudae adinstar rubentem, cujus plurimis in locis epidermis secedit, exhibet, mensem et diutius perdurat, interdum etiam, quod Jos. Frank semel animadvertit, quovis mense periodice recurrit.

### Caput quintum.

#### Erysipelatis infantilis aetiologia.

##### 1) Praedisponentia.

In hac re respiciamus oportet ad magnam infantis cutis teneritatem et incitabilitatem, arctam conjunctionem mutuam hujus cum digestionis apparatu in universum et cum hepate speciatim. In infante neonato fortasse accedit quoque, secundum Harlessii sententiam (l. c.), consensus, in quo ejus hepar cum abdominis integumentis per membranosam vasorum umbilicalium continuitatem

(i) Batemann, l. c. pag. 385.

(k) l. c. pag. 353.

versatur. Quo minor natu infans est, eo majorem vim ad gignendum erysipelas infantile hae res habebunt. — Propria constitutione ad hujus morbi exitum opus esse non videtur. (v. supra.)

Si dispositionis conditiones modo breviter alatas et excitantia infra enumeranda contemplaverimus, fortasse mirum esse videbitur, erysipelas infantile pro ratione aliorum morborum infantilium ex iisdem momentis disponentibus atque excitantibus exorientium, ex testimonio medicorum expertissimorum, ut cel. Henkii, raro tantum animadverti. Ergo suspicari cogimur, dispositionem ad hunc morbum adhuc ignotam in organismo, nescio an potissimum in teneri infantis cutis systemate, esse oportere.

## 2) Excitantia.

Num erysipelas in genere, et infantile in specie contagiosum sit, quaestio est, hucusque nondum certo soluta. Imprimis Charles Bells (l) plures fecit observationes, quae in erysipelate inesse vim contagiosam probant. Inter alia exemplum a Pitcairnio observatum nobiscum communicavit, ubi infans, tres dies natus, cujus mater feбри cum morbo erysipelaceo conjuncta laborabat, erysipelate correptus est. Apparuit illud primum circa infantis genitalia et deinde per totum corpus progressum est. Octo diebus post utriusque mortem etiam duae personae, quae illos curaverant, erysipelate faciei affectae sunt. Gartshore (m) contra geminos, qui sanae matris lacte

utebantur et ambo bene crescebant, noverat, quorum alter morbo nostro mortuus est, dum alterum non invadebat. Hufeland (n) quoque hujus rei mentionem facit, nec tamen certi quidquam profert.

Minus dubius videtur character erysipelatis infantilis interdum epidemicus, quo illud gaudere plures scriptores contendunt, etsi hic morbus saepius in nosocomiis et parvulorum expositorum hospitiiis, quam in privatis aedibus obvia est. Oslander (o) plures infantes tempore, quo ipso multae puerperae morbo bilioso-rheumatico laborabant, erysipelate lethifero affectos vidit. Hufeland (p) narrat, nonnullos infantes eodem fere tempore, cum forte constitutio bilioso-pituitosa dominaretur, erysipelate esse correptos. Horn, multis suis erysipelatis infantilis observationibus nixus, dicit (q): „Wenn ganze Jahre verlaufen, ohne daß eine Spur dieser Krankheit gefunden wird, und dafür in einem andern Jahre fast in jedem Monate, sowohl bei der größten Hitze, wie bei der strengsten Kälte, diese Krankheit vorkommen kann, so folgt von selbst, daß ihre Entstehung von den gewöhnlichen Veränderungen der Atmosphäre, nach denen der Stand des Barometers, des Thermometers u. s. w. sich richtet, nicht abhängen kann.“

Ad momenta excitantia, quae partim idio-pathico, partim sympathico modo, dispositione data, erysipelas infantile provocare possunt, pertinent quoque: rudis funiculi umbilicalis tractatio,

(l) Bemerk. über d. Rose, in: Sammlung auserlesener Abhandlungen etc. 20. Bd. 3. et 4. St. p. 621.  
(m) l. c. pag. 335.

(n) l. c. pag. 150 — 151.  
(o) Denkwürdigkeiten, pag. 370.  
(p) l. c. pag. 150.  
(q) l. c. pag. 112 — 113.

profunda et violenta umbilici impressio in involvendo infanti ad herniam umbilicalem praecavendam, infantum lavatio in aqua nimis calida, fomenta indolis irritantis temere adhibita, infantum involutio in lintea humida, immunitas, variolarum vaccinarum et genitinarum insertio, praesertim si perperam et in infantibus nimis parvis instituitur, refrigeratio, neglecta meconii evacuatio, prava infantis nutrimenta, ut: lac matris vel nutricis potionibus spirituosus abutentis, lac pingue, vetus, rancidum; ira, terror mammae praebentis (r). Meißner (s) se cum Meckelio et Osiaandro venae umbilicalis inflammationem causam habere occasionalem proficitur; nam cum gangraena, erysipelate ad umbilicum producta, arcta esset, atque umbilicus dissolveretur, per venae umbilicalis decursum foramen sat magnum est repertum.

Saepe vero causae, quamvis diligentissime quaerantur, deprehendi nequeunt. (t)

### 3) Erysipelatis infantilis pathogenia.

Si Hufeland dicit (u): „Alle vorher angeführten Ursachen wirken wohl hauptsächlich durch Reiz auf die Nerven des Unterleibes, vorzüglich

(r) Osiaander, Denkwürdigk. p. 371. — Neue Denkwürdigk. p. 71. — Hufeland, l. c. p. 150. — Capuron, l. c. p. 37—88. — Willan und Friese, l. c. 3. Bd. 2. Abthlg. p. 337. sq. — Kortum in Hufelandii Journal. 15. Bd. 4. St. p. 103—104. — Renard in Hufelandii Journal. 22. Bd. 2. St. p. 91. — Henke, l. c. p. 189. — Jörg, l. c. §. 471.

(s) Was hat das neunzehnte Jahrhundert für die Erkenntnis und Heilung der Kinderkrankheiten gethan? Leipzig 1826. pag. 147.

(t) Gartschore, l. c. p. 335. — Hemmer, l. c. p. 58. sq. — Schwarz, l. c. p. 91.

(u) l. c. pag. 151.

des Gallebereitenden Organs und auf das lymphatische System, besonders auf die Milchgefäße, durch welche die durch den Reiz in der Leber abgesonderte scharfe Galle eingesogen, ins Blut gebracht und so auf die äußern Theile abgesetzt wird“, hoc fortasse de erysipelate infantili, sympathice exorto et nominatim magis exanthematicum characterem tuente valebit. Idem tere dicendum est de Henkii (v) sententia, hunc morbum potissimum e perturbata systematis biliosi functione exoriri, deque Jörgli (w) opinione, nunquam, nisi bilis secretionem aucta atque assimilatione corrupta, erysipelas in neonatis gigni posse, etiamsi cutis diversissimo modo viribus mechanicis et chemicis irritetur. — Cum erysipelatis infantilis formatio et decursus nobis ostendat, illud tam idiopathice, quam sympathice creari, proximam ejus causam haberi posse arbitror vitalitatis mutationem in cutis superficiali vasorum capillarum systemate, stimulo aut interno, aut externo, dispositione data, effectam, cujus ope in cute inflammatio sui generis excoli possit. Ejus indoles arterioso-seroso-venosa videtur esse: nam loci cutis inflammatione correpti rubor interdum minimus est, plerumque vero et quidem initio satis purus et fortis est, deinde coruleus, tumor et tensio admodum gravis est, quae et ejus durities fortasse, lymphæ plastica in cutis telam effusa oriuntur; inflammatio saepe in gangraenam et suppurationem ichorosam transit, aut partium correptarum indurationem relinquit; affectio universalis constat feбри raro inflammatoria, plerumque typhosa cum gastrica complicatione. In hac inflammationis cutaneae indole arte-

(v) l. c. pag. 188.

(w) l. c. §. 471.

rioso-seroso-venosa aut arteriosa ejus pars, aut serosa, aut venosa praevalere potest. (x)

### Caput sextum.

#### Prognosis.

Haec generaliter infausta est, cum erysipelas infantile partim in gangraenam et suppurationem ichorosam transire maxime amet, partim in organa interna nobilia facillime transferatur vel propagetur. Si in exemplo quodam dato statui debeat, haec sunt respicienda:

1. Infantis laborantis aetas et constitutio. Quo minor natu et infirmior infans est, eo majus est periculum.

2. Morbi momenta causalia num investigari et removeri possint. Erysipelas infantile, quod sporadice atque in domibus privatis occurrebat, saepe, et quidem sub symptomatibus maximum periculum minantibus feliciter curatum est, sed quod epidemice vel in tictodochiis et btrephotrophiis grassabatur fere semper mortem adduxit. Horn, e. g. septemdecim infantes erysipelate infantili, quod epidemicum, fuisse verisimile est, affectos observavit, quorum duo tantum prospero eventu curati sunt (y).

3. Pars corporis correpta. Si inflammatio circa umbilicum et in partibus genitalibus sedem suam fixit, multo periculosius est, quam si extremitates correptae sunt.

4. Major minorve vitii cutanei magnitudo tum ad ambitum, tum ad profunditatem.

(x) Conf. L. A. Struve, über die Erkenntnis und Cur acuter und chronischer Krankheiten, Riga und Dorpat 1827. pag. 94. 99.

(y) l. c. pag. 109. seq.

5. Affectionis localis et universalis indoles: nam semper mali omnino est, si venosa inflammationis indoles et febris natura typhoso-gastrica praevaleat.

6. Morbi mora, Hecker (z) contendit, post septimum morbi diem periculum paene esse superatum. Hoc fortasse generaliter tantum et sub faustis morbi conditionibus valebit, cum mora nonnunquam etiam inter morbi diem septimum et hebdomadem sextam accesserit (a).

7. Complicationes denique et metastases secutae.

### Caput septimum.

#### Erysipelatis infantilis curatio.

Medendi methodi a scriptoribus aliis aliae diversissimaeque laudantur, et quam agendi rationem alius eventu adhibuit prosperissimo, alius, experientia edoctus, repudiare debuit.

Bromfield, Gartshore (l. c.) laudant corticis chinae usum tum interne per os, tum in forma clysmatum, additis remediis aromaticis; locos inflammatos spiritu camphorato lavari jubent. Lodemann (b) hujus methodi praestantiam probat, cum ea usus quinque infantes feliciter servaverit. Similem medendi methodum John Miles (c) prospere adhibuit, extractum chinae

(z) Die Kunst unsre Kinder zu gesunden Staatsbürgern zu erziehen, u. ihre gewöhnlichsten Krankheiten zu heilen. Erfurt, 1805.

(a) Horn, l. c. pag. 119.

(b) In Hufelandii Journal. 1811. Jan. p. 53.

(c) In Froriepii Notizen aus dem Gebiete der Natur- u. Heilkunde. 7. Bd. N. 20. pag. 318.

antea usurpatum, infantis ventriculum onerans cum chinino sulphurico mutans, quod, ut dicit, prohibuisse verisimile est, quominus sphacelus extensivus excoleretur. Extrinsecus in acuto morbi stadio usurpavit fomentationes e capitibus papaveris paratas et linimentum e liquore calcis atque oleo lini confectum. Walsham (l. c.) contra, qui Bromfieldii agendi rationem imitabatur, minime gavisus est eventu prospero, et Heim (d) illam tanquam nocentem respuit.

Osiander, qui erysipelas infantile cum symptomatibus impeditae bilis secretionis observabat, in curatione potissimum ad spasmodicam bilis secretionis prohibitionem respici jubet (e).

Hufeland propter casum a se feliciter curatum arbitratur, usum balneorum lactis tepidi, remedium leviter irritantium, antispasmodicum, cutis functionem adjuvantium, ut Valerianae, florum Zinci, Moschi, plurimum ad hunc morbum sanandum esse collaturum (f).

Renard (g) neonato erysipelate laboranti corticis Peruviani, partim in forma clysmatum, partim in ea fomentationum viuo comparatarum, sacculorumque camphoratorum partibus affectis applicatorum usu vitam servavit. Interne usus est Moscho ab Hufelandio commendato. Methodum Bromfieldianae similem, cum ea, quam Hufeland laudavit, conjunctam Lützelberger quoque feliciter adhibuit (h). Schwarz

(d) In Hornii Archiv etc. 1809. 3. Bd. pag. 148.

(e) Neue Denkwürdigkeiten, etc. pag. 72.

(f) l. c. pag. 167.

(g) in Hufelandii Journal, 22. Bd. 2. St. p. 87. sq.

(h) in Hufelandii Journal, 33. Bd. 10. St. pag.

119. sq.

(l. c.) vero iisdem methodis, nec non calomele cum opio adhibitis infantem sub convulsionibus morientem vidit.

Infantes ab Hornio (l. c.) tractati interne acceperunt remedia tum emetica, tum laxantia et calomel, externe adhibita sunt balnea sudorifera, infractiones Mercurii, fomentationes ex aqua Saturnina remediisque spirituosius comparatae; e septemdecim duo tantum servati sunt.

Postquam de Velsen (l. c.) remedia cutis functionem adjuvantia (Aquam Menth. pip. cum liqu. amm. acet. et camphor.) balneaque tepida cum decocto corticis quercus et alumine commixta plures hebdomades frustra adhibuit, prosperrimo gaudens eventu usus est hydrargyro oxydulato nigro in refracta dosi, conservatis antea jam adhibitis clysmatibus, e decocto fl. chamomillae et sapone paratis. Ut prohiberet, quominus convulsionem maxime metuendae erumperent, ante hanc medendi methodum balnea aromatica et interne liqu. amm. carb. pyro-oleosum, deinde extr. hyoscyami et denique zincum oxydatum album feliciter adhibuit.

Henke (l. c.) erysipelas infantile cum ictero conjunctum infuso e senna et valeriana, balneis calidis et postrema cort. Peruviano usurpatis, removit. Alii infanti debilissimo Moschum praeberi, eumque aqua calida lavari jussit, quo facto ille est sanatus.

Carus (i) remedia evacuantia et sudorifera adhiberi jubet et contra locorum inflammatorum indurationem balnea aromatica, nec non pannum laneum tenuiorem camphoratum iis applicandum.

(i) Gynäkologie. 2. Thl. 2. Aufl. Leipzig. 1828. S. 169o.

Harlefs (l. c.) in duobus infantibus contra indurationem post erysipelas relictam, partim remedia externis resolventibus, partim internis, systema resorbens irritantibus: sacculis fl. Chamomillae camphoratis, fomentationibus ex infuso flor. Arnicae et Chamomillae, linimento volatili, linim. hydrargyrato, Aethiope antimoniali usus est. — Cutis normalem conditionem recuperavit.

Hemmer (l. c.), qui erysipelas infantile, cujus momenta excitantia detegi non poterant, cum induratione nonnullis locis relicta observavit, interne partim infusum laxativum, partim calomel, interdum cort. Peruv., extr. aurant. in aqua aromatica cum tinctura Rhei aquosa, — externe tepida balnea ex aqua et lacte, mixtionem olei amygdalini et aquae calcis adhibuit. Valetudo universalis, et sanus cutis color et status restituti sunt.

Heyfelder (l. c.) in erysipelate infantili, quem morbum periculi expertem nominat, cutis functionem alvique dejectionem adjuvat. In casu quodam, ubi inflammatio late propagata erat, calomel tantum usurpavit. Nunquam morbum in ea forma vidit, ut cortex Peruvianus et chininum sulphuricum necessaria essent.

Magua remedium commemoratorum contra erysipelas infantile adhibitorum diversitas, et contrarius eventus unius ejusdemque medendi methodi probant, causas et indolem tum affectionis localis, tum universalis maxime fuisse diversas. Quaevis igitur commemorata agendi ratio, si ad conditiones allatas respicitur, magis minusve adhiberi poterit.